



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monvmenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illvstrandam,
Nvnqvam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XXX. Domino omnium dilectissimo, æternam in Christo salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Domino omnium dilectissimo, æ-
ternam in Christo
salutem.

A Vdiens ab EANBOLDO famulo vestro, optatæ pro-
speritatis vestræ sospitatem, valdè me gaudium fa-
teor. Quia charitas, & fides, quæ olim in pectore
nostro habitare cœpit, nūquam recedere poterit. Et quan-
tò plus tempus remunerationis appropinquat, tantò magis
obseruare debet, vt qui prius transierit à seculo, amicum
ibi sentiat reliquisse in seculo.

Me verò, filium tuum, febrim acerbitas, & Regis tar-
datio in SAXONIA retinuit, vt ad vos venire non potuerim
sicut desideravi. Concedat mihi clementia diuina faciem
tuam, in lætitia videre, antequam moriar, vt in ea te hono-
ris dignitate, si fieri possit, inueniam, in qua te pergens vi-
debam. Tamen si aliud aliquid tuo placeat animo, rogo vt
nullam violentiam super Ecclesiam Christi vllatenus fieri
permittas: sed fratres libera electione in timore DEI, sicut
optimum, Deo donante eligant.

Quia in sanctis Canonibus terribile anathema legitur
super omnes, qui violentiam aliquam infertant super Eccle-
siam Christi. Scito semper dilexisse familiam nostram, &
plurima eis bona fecisse: sed nunc maximè indigemus: vt

bene illis agamus, vt vbi nobis requies erit æterna;
ibi sint quoque intercessores perpetui
pro nobis.

